

strepit, currit, et currendo decurrit, id est, cursum finit : sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, et aliis morientibus alii nascuntur, rursusque illis morientibus alii oriuntur : succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur ? quid non currit ? quid non quasi de pluvia collectum it in abyssum ? Quomodo enim fluvius repente collectus de pluvia, de guttis imbrium, it in mare, nec apparet ; nec apparebat, antequam de pluvia colligeretur : si hoc genus humanum de occultis colligitur, et profluit ; morte rursus in occultum pergit ; medium hoc sonat et transit. De hoc torrente bibit ille, non est dedignatus bibere de hoc torrente. Bibere enim de hoc torrente, illi erat nasci et mori. Hoc habet torrens iste, nativitatem et mortem : suscepit hanc Christus ; natus est, mortuus est : ita « De torrente » in via bibit. Exultavit enim sicut gigas ad currendam » viam ¹. De torrente ergo in via bibit ; Quia in via peccatorum non stetit ². » Quia ergo « De torrente in via » bibit ; propterea exaltavit caput : » id est, quia humiliatus est, « Et factus est subditus usque ad mortem, mortem autem crucis ; propterea eum Deus exaltavit a » mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, » coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei » Patris ³. »

¹ Psal. xviii, 6. — ² Id. i, 11. — ³ Philip. ii, 8-11.

ENARRATIO

IN PSALMUM CX.

Sermo ad plebem ¹.

I. VENERUNT dies ut cantemus Alleluia : adeste animo, fratres, ad percipienda quæ Dominus suggerit ad exhortationem nostram, et nutriendam charitatem, qua nobis inhærere Deo bonum est. Adeste animo cantatores boni, filii laudis et gloriæ sempiternæ veri et incorrupti Dei. Adeste, intenti, qui nostis cantare et psallere in cordibus vestris Domino, gratias semper agentes in omnibus ² : et laudate Deum ; hoc est enim Alleluia. Et hi quidem dies veniunt transituri, transeuntque venturi, et significant diem qui non venit et transit, quia nec hesterno præitur ut veniat, nec crastino urgetur ut transeat. Ad quem sane nos cum venerimus, inhærentes ei nec nos transibimus. Et sicut quodam loco canitur Deo, « Beati qui habitant » in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te ³ : » hoc erit otiosorum negotium, hoc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. Sicut enim dies isti præteritis diebus Quadragesimæ, quibus ante resurrectionem Domini corporis vitæ hujus significatur moeror, solemniter grata hilaritate succedunt : sic dies ille qui post resurrectionem dabitur plenario corpori Domini,

¹ Hic Sermo ad plebem, in die Paschali, solemnitate habitus est. — ² Ephes. v, 19, 20. — ³ Psal. lxxxiii, 5.

hoc est, sanctæ Ecclesiæ, cunctis vitæ hujus ærumnis atque doloribus exclusis, perpetua beatitate succedet. Hæc autem vita de nobis exigit continentiam, ut etiam cum labore atque luctamine ingemiscentes gravati, et habitaculum nostrum quod de cœlo est superindui cupientes¹, a sæcularibus delectationibus temperemus: et significatur quadragenario numero, quo et Moyses et Elias et ipse Dominus jejunarunt². Præcipitur enim nobis et ex Lege, et ex Prophetis, et ex ipso Evangelio, (quod testimonium habet a Lege et Prophetis, unde etiam in monte inter utramque personam medius Salvator effulsit³,) ut ab omnibus mundi illecebris, quibus captivi homines obliviscuntur Deum, aviditatem nostram tanquam jejunio temperantiæ, refrenemus: quandiu perfectio Decalogi Legis, tanquam psalterium decem chordarum, per quatuor ejusdem mundi partes, id est, toto orbe prædicatur, ut decem quater ducta quadragenarium numerum signent. Quinquagenario vero numero post resurrectionem Domini, quo cantamus Alleluia, non cujusdam temporis finis et transitus, sed beata illa significatur æternitas: quia denarius additus quadragenario, laborantibus in hac vita fidelibus merces illa persolvitur, quam et primis et novissimis paterfamilias præparavit æqualem. Audiamus itaque plenum divina laude pectus populi Dei. Ecce personat in hoc Psalmo quemdam exultantem felici exultatione, præfigurat et scaturientem corde in amore Dei populum, scilicet corpus Christi, ab omni malo liberatum.

II. « Confiteor tibi, inquit, Domine, in toto corde » meo⁴. » Non semper confessio peccatorum est, sed et laus Dei devotione confessionis expromitur. Illa luget, hæc gaudet: illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate

¹ 2 Cor. v, 2. — ² Exod. xxxiv, 28; 3 Reg. xix, 8; et Matth. iv, 2. — ³ Matth. xvii, 3. — ⁴ Psal. cx, 1.

gratias agit. Hæc confessio quemdam significat, non solum ab omni malo liberatum, sed etiam a malignis omnibus separatum. Et ideo videamus ubi confiteatur Domino in toto corde. « In consilio, inquit, rectorum, et congregatione: » credo, qui sedebunt super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël¹. Nullus enim jam inter eos iniquus, nullius Judæ furta tolerantur, nullus Simon Magus baptizatur, Spiritum volens emere, dum cogitat vendere²; nullus Alexander ærarius multa mala ostendit³, nullus ovina pelle tectus falsa fraternitate subrepat: inter quales nunc necesse est Ecclesia gemat, et quales tunc oportet, cum omnes justi congregabuntur, excludat. Hæc sunt, « Magna opera Domini, exquisita in » omnes voluntates ejus⁴: » per quas nullum confitentem deserat misericordia, nullius sit iniquitas impunita; quando « Flagellat etiam omnem filium quem recepit⁵. » Sed si justus vix salvatur, peccator et impius ubi parebunt⁶? Eligat sibi homo quodlibet. Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta, creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet: tamen si peccaveris, ne putes hominem fecisse quod voluit, et Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat; ita vult postremo in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit unde suam de te compleat voluntatem. « Magna enim opera Domini, » exquisita in omnes voluntates ejus.

III. « Confessio et magnificentia opus ejus⁷. » Quid magnificentius quam justificare impium? Sed opus fortasse

¹ Matth. xix, 28. — ² Act. viii, 13 et 18, 19. — ³ 2 Tim. iv, 14. — ⁴ Psal. cx, 2. — ⁵ Hebr. iv, 6. — ⁶ 1 Petr. iv, 18. — ⁷ Psal. cx, 3.

hominis prævenit istam magnificentiam Dei, ut cum fuerit peccata confessus, justificari mereatur. « Descendit » enim de templo justificatus Publicanus magis quam » Pharisæus : quia neque oculos ad cœlum audebat levare, » sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius » esto mihi peccatori. » Hæc est magnificentia Domini, justificatio peccatoris : « Quoniam qui se humiliat, exal- » tabitur ; et qui se exaltat, humiliabitur¹. » Hæc est magnificentia Domini, quoniam cui plurimum dimittimur, plurimum diligit². Hæc magnificentia Domini : quoniam « Ubi abundavit peccatum, et superabundavit » gratia³. » Sed fortasse ex operibus. « Non, inquit, ex » operibus, ne forte quis extollatur. Ipsi enim sumus » figmentum, creati in Christo in operibus bonis⁴. » Justitiam enim homo non operatur, nisi justificatus : « Cre- » dens autem in eum qui justificat impium⁵, » a fide incipit ; ut bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit ostendant. Unde ergo illa confessio ? Nondum quidem opus est justitiæ, sed delicti improbatio : sed quoquo modo se habeat, nec in ipsa de te homo gloriaris, « Ut qui gloriatur in Domino gloriatur⁶. » « Quid enim habes quod non accepisti ? » Non ergo sola magnificentia, qua justificatur impius, sed « Et confessio » et magnificentia opus ejus. Quid ergo dicimus, quia cui » vult miseretur, et quem vult obdurat ; numquid ini- » quitas apud Deum ? Absit. Justitia enim ejus manet in » sæculum sæculi. Tu autem homo de hoc sæculo, qui es » qui respondeas Deo⁸ ? »

IV. « Memoriam fecit mirabilium suorum : » hunc humilians, et hunc exaltans. « Memoriam fecit mirabilium

¹ Luc. xviii, 13, 14. — ² Id. vii, 42-48. — ³ Rom. v, 20. — ⁴ Ephes. ii, 9, 10. — ⁵ Rom. iv, 5. — ⁶ I Cor. i, 31. — ⁷ Id. iv, 7. — ⁸ Rom. ix, 14, 18 et 20.

suorum¹ : reservans opportune inusitata prodigia, quæ infirmitas hominis novitati intenta meminerit, cum sint ejus miracula quotidiana majora. Tot per universam terram arbores creat, et nemo miratur : arefecit verbo unam, et stupefacta sunt corda mortalium² : sed « Memoriam » fecit mirabilium suorum. » Hoc enim miraculum maxime attentis cordibus inhærebit, quod assiduitas non vilefecerit.

V. Quid autem profuerunt miracula, nisi ut timeretur ? Quid porro prodesset timor, nisi, « Misericors et miserator Dominus escam daret timentibus se³ ? » Escam quæ non corrumpitur, panem qui de cœlo descendit⁴, quem nullis meritis dedit. Etenim Christus pro impiis mortuus est⁵. Nemo ergo talem escam daret, nisi misericors et miserator Dominus. Quod si tantum dedit huic vitæ, si Verbum carnem factum peccator justificandus accepit ; quid in futuro sæculo glorificatus accipiet ? « Memor enim erit » in sæculum testamenti sui. » Nec totum dedit, qui pignus dedit.

VI. « Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo⁶. » Non contristentur Israëlita sancti, qui dimiserunt omnia sua, et secuti sunt eum, non contristentur dicentes : « Quisnam poterit salvus fieri ? Quia facilius intrat camelus per foramen acus, quam dives in regnum cœlorum⁷. » Annuntiavit enim eis fortitudinem operum suorum : « Quoniam quæ hominibus difficilia sunt, Deo facilia sunt. Ut det illis hæreditatem gentium⁸. » Itum est enim et ad Gentes, et præceptum divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum ; sed in Deo vivo⁹ ; cui facile est

¹ Psal. cx, 4. — ² Matth. xxi, 19, 20. — ³ Psal. cx, 5. — ⁴ Joan. vi, 27 et 51. — ⁵ Rom. v, 6. — ⁶ Psal. cx, 6. — ⁷ Matth. xix, 24-26. — ⁸ Psal. cx, 7. — ⁹ I Tim. vi, 17.

quod hominibus difficile est. Sic enim multi vocati sunt, sic occupata est hæreditas Gentium, sic factum est ut etiam plurimi, qui non dimiserunt omnia sua in hac vita, ut sequerentur eum, vitam etiam ipsam pro nominis ejus confessionem contemnerent; et tanquam cameli humiliantes se ad portanda onera pressurarum, intrarent etiam sicut per foramen acus, per compungentes passionis angustias. Ipse fecit hæc, cui omnia possibilia sunt.

VII. « Opera manuum ejus veritas et judicium. » Teneatur veritas ab iis qui judicantur hic. Judicantur hic Martyres, et ad judicium perducuntur, quo non solum eos a quibus judicati sunt, sed etiam Angelos dijudicent¹, adversus quos eis erat colluctatio, etiam cum ab hominibus judicari viderentur. Non separet a Christo tribulatio, angustia, fames, nuditas, gladius². « Fidelia enim omnia » mandata ejus. » Non fallit, exhibet quod promisit. Non tamen quod promisit est hic expectandum, non hic sperandum: sed, « Confirmata sunt in sæculum sæculi, facta » in veritate et justitia³. » Hoc est verum et justum, ut hic laboretur, illic requiescatur. Quia, « Redemptionem » misit populo suo⁴. » Unde autem redimuntur, nisi a captivitate peregrinationis hujus? Non ergo requies nisi in cœlesti patria requiratur.

VIII. Dedit quidem Deus Israëlitis carnalibus terrenam Jerusalem, « Quæ servit cum filiis suis⁵: » sed hoc Vetus Testamentum est, ad veterem hominem pertinens. Qui autem ibi figuram intellexerunt, hæredes etiam tunc Novi Testamenti extiterunt: « Quoniam quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra æterna in » cœlis⁶. » Vetere autem illo, reipsa probatum est transitoria promississe: « Mandavit quippe in æternum Testa-

¹ I Cor. vi, 3. — ² Rom. vii, 35. — ³ Psal. cx, 8. — ⁴ Ibid. 9. — ⁵ Gal. iv, 25. — ⁶ Ibid. 26.

» mentum suum. » Sed quod, nisi Novum? Cujus hæres quisquis esse volueris, nolo te fallas, nec terram trahentem lac et mel carnaliter cogites, non amœna prædia, non hortos fructiferos et opacos, non tale aliquid mediteris adipisci, quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere. Cum enim sit radix omnium malorum cupiditas¹, perimenda est ut hic consumatur, non differenda ut ibi satiatur. Primo poenas fuge, gehennas devita: antequam desideres promittentem Deum, cave minantem. « Sanctum enim et terribile nomen ejus. »

IX. Pro deliciis autem omnibus hujus sæculi, quales vel expertus es, vel augere ac multiplicare cogitando potes, immortalium deliciarum matrem concupisce sapientiam: sed, « Initium sapientiæ timor Domini. » Delectabit illa, et ineffabiliter procul dubio delectabit castis atque æternis veritatis amplexibus: sed prius tibi donanda sunt debita, quam præmia flagitanda. « Initium ergo sapientiæ timor Domini². Bonus est intellectus. » Quis negat? Sed intelligere et non facere, periculosum est. « Bonus ergo facientibus. » Nec extollat mentem in superbiam. Cujus enim timor est initium sapientiæ, « Laus » ejus manet in sæculum sæculi. » Et hoc erit præmium, hic finis, hæc statio sedesque perpetua. Illic inveniuntur mandata fidelia, confirmata in sæculum sæculi: ipsa est hæreditas Novi Testamenti mandata in æternum. « Unam, » petii, inquit, a Domino, hanc requiram, ut inhabitem » in domo Domini per omnes dies vitæ meæ³. Beati enim » qui habitant in domo Domini, in sæcula sæculorum » laudabunt eum⁴: quoniam, Laus ejus manet in sæculum sæculi. »

¹ I Tim. vi, 10. — ² Psal. cx, 10. — ³ Id. xx, 4. — ⁴ Id. lxxxiii, 5.